

exaraverint, quantum quisque scripserit, qua aetate fuerint, diu multumque quaesitum est a viris artis palaeographicae peritis. Rostagno textus Aeschylei duos fuisse scribas docet, alterum Persas, primam tragoediam, usque ad v. 703 pinxisse, alterum reliqua; supervenisse deinde tertium, qui omnia corrigeret, ommissa suppleret, scholia adderet. quem altero usum esse exemplari. fuisse autem scribam primum saeculo decimo, undecimo ceteros. non refragabor manus recte distinctas esse; sed rem tam miro modo gestam esse non est cur statuamus. scribendi enim genus et horum trium hominum et eius qui Sophoclis textum eiusque qui scholia Sophoclea scripsit idem est, i. e. eiusdem aetatis et eiusdem scholae. concludimus igitur in eadem bibliotheca, sive monasterium dicere mavis, scriptum esse utrumque librum, et Aeschyli Apolloniique et Sophoclis, circa annum 1000. ac scribarum quidem officium in eo se continebat ut recte lectas litteras recte redderent; vix refert unus an plures opus perfecerint. longe gravius diorthotae munus erat, qui conlato exemplo omnia recognosceret, suppleret, prosodiae signa maxime et interpunctiones, denique scholia in marginibus collocaret, varias lectiones modo intra versus, modo in margine; iuvenimus etiam dubitandi signum ζῆται et coniecturas οἴμαι praefixo notatas, quas haec manus exaravit. haec omnia perficere non poterat nisi homo grammatica arte eruditus; itaque ignoramus ignorabimusque quantum de exemplari suo sumpserit, quantum ipse excogitaverit, quae in scholiis contraxerit, addiderit. atque importunum sane, quod aegre distinguitur utrum calami errorem plane inutilem an antiquiorem lectionem sive scriba ipse sive diorthota mutaverit; quamquam scribam ea tantum quae invito sibi excidissent sustulisse probabile est. editor autem ibi tantum ubi duplex adferenda est lectio signis M (vel M<sup>1</sup>) et M<sup>2</sup> manus aequales distinguet, quarum nobis quidem eadem omnino auctoritas est. correctori si alterum exemplum praesto fuisse cum Rostagno existimamus, in eadem bibliotheca duos fuisse Aeschyli codices sumimus, conspirantes in mendis gravissimis, artissime igitur cognatos, alterum vero scholiis carentem. quod quam longe a veri similitudine abhorreat persequi nolo. mihi autem certissimum est diorthotam eodem usum esse libro e quo scriba textum petiverat. nam quod hic haud paucos versus omisit a correctore suppletos, aut propter similia versuum sive prima sive ultima verba peccavit<sup>1)</sup>,

<sup>1)</sup> Pers. 552—61. 1008. Choeph. 627. 712—14. Eumen. 121—23. Suppl. 518—20.